

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1763

Johannes

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295084)

mox factus est Dominus, jure oppignerationis, quo etiam Gasp. Meinwartus, ipso consentiente, vicos *Mengen & Thiingen* obtinuit. At eandem Dynastiam, æque ac Landgraviatum Brisgoviae, brevi post invaserunt Austriaci, antiquius oppignerationis jus sibi vindicantes, id quod Johannem Comitem adeo exacerbavit, ut omiſſis pacis negotiis A. 1428. Alfatiam Auftriacam cædibus atque incendiis vastaret. Terris his Johannes tum præfuit, Thiersteinensis Comes, qui Wilhelmi, Marchionis Hachberg. aliorumque opera usus, rem eo perduxit, ut armis utrimque depositis, Senatus Basil. judicio ea committeretur. Receptæ itaque Badevillæ Johannes Friburg. Comes Heinricum de Nuwenfels præfecit, quo administro Eberhardi IX. Comitis Wirtemberg. viduæ, ultimi Montisbel. Comitis filia ac heredi, Heinriettæ, nescio quam ob causam, A. 1443. ad dies vitæ tradita est. Brevis hæc fuit possessio, anno sequenti jam morte Heinriettæ extincta.

§. XXXIX.

Redeuntem ad se Dynastiam Johannes Comes Rudolfo & Hugoni, fratribus, Hachbergæ Marchionibus, consanguineis suis, libere donavit; imo & Rudolfum hunc Comitatus sui Neoburgensis A. 1450. heredem scripsit. Ludovicus, Cabilono-Arausionensis Princeps, Dominus directus, ægre id ferens, Johannem ad novam investituram Grandsonii accipiendam coëgit; (h) quæ solennitas

Liberalitas in
Hachbergæ
March.

(h) LEU *Lex. Helvet.* Tom. XIV. pag. 41.

tamen non impedivit, quo minus Johannes in proposito perfisteret. (i)

§. XXXX.

Bella.

Is jure civitatis Bernensis cum Neoburgensibus suis gaudens, (l) in bello Turicensi A. 1444. & sequenti ab Helvetiorum partibus contra Austriacos stetit & Gallos. (m)

Cum Gallis quidem pacem iniit, (n) at non cum Austriacis, qui Dynastiam Badevill. denuo invaserant. Hanc recepturus Johannes, cum Alberto, Duce Austriæ, mense Sept. 1454. colloquium Waldshuti instituit, assumpto comite Rudolfo, Marchione Hachberg. futuro herede suo. Albertus secum habuit Thuringum Hallviliam, Marefchallum suum. Multa ab utraque parte in medium prolata, congressi sæpius Principes, sed nihil peractum. Placuit dein Episcopi Basil. arbitrium, ob quod Rudolfus de Ringoltingen, Scultetus Bernensis, Johannis Comitis nomine, Basileam profectus est, Rudolfo de Ramstein causam Austriacorum agente.

§. XXXXI.

(i) *Reflexions sur la Reponse de Mad. de Lesdiguières touchant le Droit du Roi de Prusse sur Neufchatel* pag. 57.

(l) LEU loc. cit.

(m) TSCHUDI *Chron. Helv.* Part. II. pag. 455.

(n) SCHILTER *ad Kænigshov.* pag. 975.

§. XXXXI.

An. 1457. obiit Johannes, Friburgensium Comitum Mors.
 postremus, cujus testamentum, Vefontione apud Judicem Curiae
 Archiepiscopi depositum, Rudolfum Hachberga-Saufenbergicum
 bonorum ejus heredem ex asse pronuntiavit; contradicente
 ob Novum Castrum Ludovico de Cabilone, Arausio Principe,
 qua de re in Hachbergicis agimus.

Uxorem Johannes duxerat Mariam, Johannis de Cabilone, Uxor.
 gentis hujus primi Arausii Principis, (o) qui A. 1418. decessit, filiam,
 quæ nullam ei sobolem dedit. Mariæ frater erat idem, quem sæpe
 nominavimus, Ludovicus Princeps; soror Alienora sive Alix,
 nupta Guilielmo de Vienna, S. Georgii & S. Crucis Domino, ex
 quo matrimonio prodiit Margaretha, uxor ejusdem Rudolphi
 Marchionis, quem Johannes Comes scripsit heredem.

§. XXXXII.

Comitum Friburgensium, quos descripsimus, seriem & fata Recapitu-
latio.
 considerantes attentius, quinque vicissitudines majores & epochas
 in eorum historia deprehendimus.

(o) JOSEPH DE LA PISE *Hist. des Princes d'Orange* pag. 88. & 110. *Genealogies
 histor. des Souverains* Tom. IV. pag. 314. 316. & Tab. LXIV.

Prima *Uracensis* est, qua opes eorum intra vetus patrimonium Uracense constitutæ.

Secunda *Friburgensis* ab A. 1218. quo Zaringicam hereditatem Comites Uracenses adierunt, Friburgum nempe Brisgovie, cum insigni terræ tractu, qui deinceps Comitatus Friburgensis appellatus est. Centum annis hæc absolvitur Periodus.

Ei successit *Landgraviatis* A. 1318. quo Comites Friburgenses à Marchionibus Hachbergæ Landgraviatum ipsum Brisgoicum acceperunt in pignus.

Inde quarta post 50. annos surrexit epocha, *Badevillana*, quum facta bonorum permutatione, pro urbe Friburgensi Egenoni IV. Comiti A. 1368. Dynastia hæc tradita est.

Quinta denique & ultima fuit, *Neocastrensis* Ann. 1397. quo Comitatus iste Helveticus Comitum quoque Friburgensium factus est juris.

Incrementa hæc omnia matrimoniis, Zaringico, Hachbergico, Neocastrensi debuerunt Comites; a quibus eadem ratione ad Marchiones Hachbergæ pleraque transferunt.

Atque ita Zaringicis rebus imponimus finem, ad Badenses, strictius ita dictas, transituri, quæ Librum III. Operis nostri componunt.